The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Gregorius moralium libro 3 (fol.54ra-va)

1. Percussit ulcere pessimo a planta pedis usque ad uerticem ut nil in mente uacet a gloria in cuius corpore nil uacat a pena.

   Vt igitur ostendatur quomodo per asperitatem flagelli aduersarius contra sanctum uirum non solum per nequitiam qualitatis, sed etiam per pondus quantitatis exarsit ad demonstrandam qualitatem dicitur: *Percussit ulcere pessimo*; ad insinuandam uero quantitatem subiungitur: *A planta pedis usque ad uerticem*, ut nimirum nil in mente uacet a gloria, in cuius corpore nil uacat a poena.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.6 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.119, ll.6-13). cf. Iob 2:7

2. Qui testa saniem radebat. Quam molliciem sane sue carni concessit qui non uestem non digitos sed testam etiam uulneribus admouit. Dum beati iob uulnera cruciatusque considero repente mentis oculos ad Iohannem reduco et non sine grauissima admiratione perpendo quod ille prophetie spiritu. intra matris uterum impletus. atque ut ita dixerim priusquam nasceretur renatus. ille amicus sponsi. ille in quo inter natos mulierum nemo maior surrexit. ille sic propheta. ut etiam plus quam propheta darentur ab iniquis in carcerem mittitur et pro puelle saltatu capite truncatur et uir tante seueritatis pro risu turpium moritur.

   Qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.... Quo facto patenter ostenditur corpus suum quomodo sibi sanum subdidit quod et percussum sic despiciens curauit; quam ille mollitiem sanae suae carni concessit qui non uestem non digitos, sed testam etiam uulneribus admouit.... Ecce autem dum beati Iob uulnera cruciatusque considero, repente mentis oculos ad Ioannem reduco et non sine grauissima admiratione perpendo, quod ille prophetiae spiritu intra matris uterum impletus atque ut ita dixerim, priusquam nasceretur renatus. Ille amicus sponsi, ille quo inter natos mulierum maior nemo surrexit, ille sic propheta ut plus etiam quam propheta, ab iniquis in carcerem mittitur et pro puellae saltatu, capite truncatur et uir tantae seueritatis pro risu turpium moritur.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.7 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.119-20, ll.1-2, 6-10, 33-41). cf. Iob 2:8

3. Quid est quod omnipotens deus sic uehementer in hoc seculo despicit. quos sic sublimiter ante secula elegit. nisi hoc quod pietati fidelium patet. quoniam idcirco eos sic in infimis premit quia uidet quomodo remuneret in summis et foras usque ad despecta deicit quia

intus usque ad incomprehensibilia perducit. hinc ergo unusquisque colligat quid illinc sint passuri quos reprobat. si hic sic cruciat quos amat aut quomodo ferientur. qui in iudicio arguendi sunt. si sic eorum uita premitur qui ipso iudice teste laudantur.

Quid est quod omnipotens Deus sic uehementer in hoc saeculo despicit, quos sic sublimiter ante saecula elegit, nisi hoc quod pietati fidelium patet, quoniam idcirco sic eos premit in infimis quia uidet quomodo remuneret in summis; et foras usque ad despecta deicit quia intus usque ad incomprehensibilia perducit. Hinc ergo unusquisque colligat quid illic sint passuri quos reprobat si hic sic cruciat quos amat; aut quomodo ferientur qui in iudicio arguendi sunt si sic eorum uita premitur, qui ipso iudice teste laudantur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.7 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.121, ll.54-63).

4. Si bona suscepimus de manu domini mala quare non sustineamus? Magna consolatio tribulationis est si cum aduersa patimur auctoris nostri ad memoriam dona reuocemus nec frangit quod ex dolore obuiat si menti cicius hoc quod ex munere subleuat occurrat.

   Sed illud ualde in eius uerbis intuendeum est contra persuasionem coniugis quanta considerationis arte se colligat dicens: *Si bona accepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* Magna quippe consolatio tribulationis est, si cum aduersa patimur, auctoris nostri ad memoriam dona reuocemus. Nec frangit quod ex dolore obuiat si menti citius hoc quod ex munere subleuat, occurrat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.9 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.124-5, ll.43-49). cf. Iob 2:10

5. In omnibus hiis non peccauit Iob. duobus modis labiis delinquimus. aut cum iniusta dicimus aut iusta reticemus.

   In omnibus his non peccauit Iob labiis suis. Duobus modis labiis delinquimus, cum aut iniusta dicimus aut iusta reticemus.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.10 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.125, ll.1-3). cf. Iob 2:10

6. Quia sciuit iob quid deberet deo quid proximo scilicet pacientiam conditori sapientiam coniugi idcirco et hanc redarguendo docuit. et illum gracias laudauit.

   Quia enim sciuit quid deberet Deo, quid proximo, scilicet patientiam conditori, sapientiam coniugi, idcirco et hanc redarguendo docuit et illum gratias agendo laudauit.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.10 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.125-6, ll.9-12).

7. Cumque eleuassent procul oculos et cetera. Ordo consolationis est ut cum uolumus afflictum quempiam a merore suspendere studeamus prius merendo eius luctui concordare. Dolentem namque non potest cordare consolari qui non concordat dolori. quia eo ipso quo a merentis afflictione discrepat minus ab illo recipitur cui mentis qualitate separatur. sed emolliri prius debet animus ut affligant congruat congruens inhereat inherens trahat.

   Cumque eleuassent procul oculos suos non cognouerunt eum; et exclamantes plorauerunt, scissisque uestibus sparserunt puluerem super caput suum in caelo…. Ordo quippe consolationis est ut cum uolumus afflictum quempiam a maerore suspendere, studeamus prius maerendo eius luctui concordare. Dolentem namque non potest consolari qui non concordat dolori, quia eo ipso quo a maerentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur. Sed emolliri prius debet animus ut afflicto congruat, congruens inhaereat, inhaerens trahat.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.12 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.127, ll.1-4, 8-15).

8. Sic noster dolor merencium dolori iungendus est. ut per temperamentum subleuet. non autem per augmentum grauet.

   Sic enim dolor noster maerentium dolori iungendus est, ut per temperamentum subleuet, non autem per augmentum grauet.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.12 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.127, ll.31-33).

9. Qui ad mala nos uel uerbis uel exemplis illiciunt. profecto persecutores nostri sunt. a quibus temptacionum certamina sumimus. que saltem in corde uincamus.

   Qui igitur ad mala nos uel uerbis uel exemplis illiciunt, profecto persecutores nostri sunt a quibus tentationum certamina sumimus, quae saltim in corde uincamus.

   Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.20 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.139, ll.24-27).

10. Per salomonem dicitur si spiritus potestatem habentis super te ascenderit locum tuum ne dimiseris. ac si aperte dicat. Si temptatoris spiritum contra te in aliquo preualere consideras humilitatem penitencie non relinquas. qui quia locum nostrum humilitatem penitencie dixerit uerbis sequentibus ostendit dicens. Quia curatio cessare faciet peccata maxima.

    De quo per Salomonem dicitur: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris*. Ac si aperte dicat: Si tentatoris spiritum contra te in aliquo praeualere consideras, humilitatem paenitentiae non relinquas. Qui quia locum nostrum humilitatem

poenitentiae dixerit, uerbis sequentibus ostendit, dicens: *Quia curatio cessare faciet peccata maxima*.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.22 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.142-3, ll.22-28). cf. Eccl. 10:4

11. Nemo loquebatur ei uerbum. Cum amoris dei dolor uehemens corda nostra transfigit. passim praua loqui aduersarius metuit.

    Vnde et recte cum diceretur: Nemo loquebatur ei uerbum, mox causa silentii subinfertur, cum dicitur: *Videbant enim dolorem esse uehementem*. Cum enim amoris Dei dolor uehemens corda nostra transfigit, passim praua loqui aduersarius metuit, quia uidet quod intentam mentem lacessens, non solum ad peruersitatem trahere non ualet, sed per excitatam forsitan et quos tenuerat, perdet.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.27-28 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.148, ll.8-9, 1-6). cf. Iob 2:13

12. Ecce in manu tua est et cetera. Cum sathan licenciam percipit a minimis incipiens atque usque ad maiora perueniens quasi omne corpus mentis illatis temptationibus illacerando transfigit. sed tamen ad animam feriendo non peruenit. quia cunctis cogitationibus interior inter ipsa uulnera delectationum que suscipit archani propositi intentio resistit. ut quamuis delectatio mentem mordeat deliberationem tamen sancte rectitudinis usque ad consensus molliciem non inflectat.

    Ecce in manu tua est, tantum animam illius serua.… Qui mox a facie Domini exiit atque a planta pedis usque ad uerticem acceptum feriendo uulnerauit, quia nimirum cum licentiam percipit, a minimis incipiens, atque usque ad maiora perueniens, quasi omne corpus mentis illatis temptationibus lacerando transfigit. Sed tamen ad animam feriendo non peruenit quia cunctis cogitationibus interior, inter ipsa uulnera delectationum quae suscipit, arcani propositi intentio resistit; ut quamuis delectatio mentem mordeat, deliberationem tamen sanctae rectitudinis usque ad consensus mollitiem non inflectat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.29 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.150, ll.1-2, 4-13). cf. Iob 2:6

13. Testa saniem radebat. Quid per testam nisi uigor districtionis quid per saniem nisi fluxus illicite cogitationis accipitur. percussi ergo testa saniem radimus cum post pollutiones cogitationis illicite nosmet ipsos aspere diiudicando mundamus. potest etiam testa fragilitas mortalitatis intelligi. testa ergo saniem mundare est mortalitatis cursum fragilitatemque pensare et putredinem misere delectationis abstergere. nam dum quisque

considerat quam cicius caro ad puluerem redeat festine superat hoc quod se de carne intus turpiter impugnat.

Quia testa saniem radebat. Quid enim per testam nisi uigor districtionis; quid per saniem nisi fluxus illicitae cogitationis accipitur? Percussi ergo testa saniem radimus, cum post pollutiones cogitationis illicitae nosmetipsos aspere diiudicando mundamus. Potest etiam testa fragilitas mortalitatis intelligi. Testa ergo saniem mundare, est mortalitatis cursum fragilitatemque pensare et putredinem miserae delectationis abstergere. Nam dum quisque considerat, quam citius caro ad puluerem redeat, festine superat hoc quod se de carne intus turpiter impugnat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.150-1, ll.1-10). cf. Iob 2:10

14. Ieroboal cum a paleis frumenta excuteret angelum uidit et cetera. Quid est frumentum uirga cedere nisi rectitudine iudicii a uiciorum paleis uirtutum grana superare? Sed haec agentibus angelus apparet. quia tanto magis dominus interiora denunciat. quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant.

    Hinc est quod Ierobaal cum a paleis frumenta excuteret, angelum uidit ad cuius imperium protinus haedum coxit, quem super petram posuit et ius carnium desuper effudit; quae angelus uirga tetigit, eaque ignis exiens de petra consumpsit. Quid est enim frumentum uirga caedere, nisi rectitudine iudicii, a uitiorum paleis uirtutum grana separare? Sed haec agentibus angelus apparet quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto se studiosius homines ab exterioribus purgant.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.151, ll.21-29).

15. De petra ignis exit et ius carnesque consumit. quia afflatus a redemptore spiritus tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat. ut omne quod in eo est illicitum et operis et cogitationis exurat.

    De petra autem ignis exit, et ius carnesque consumit quia afflatus a Redemptore spiritus, tanta cor nostrum flamma compunctionis concremat ut omne quod in eo est illicitum et operis et cogitationis exurat.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.30 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.152, ll.40-43).

16. Sedens in sterquilinio. in sterquilinio sedere est uilia de se et abiecta quempiam sentire. in sterquilinio nobis sedere est ad ea que illicite gessimus mentis oculos penitendo reducere. ut cum ante nos peccatorum stercora cernimus omne quod in animo de elatione surgit

inclinemus. in sterquilinio sedet qui infirmitatem suam sollicitus respicit. et sese de bonis que per graciam perceperit non extollit.

Sedens in sterquilinio. In sterquilinio quippe sedere est uilia de se quempiam et abiecta sentire. In sterquilinio nobis sedere est ad ea quae illicite gessimus mentis oculos paenitendo reducere, ut cum ante nos peccatorum stercora cernimus, omne quod in animo de elatione surgit inclinemus. In sterquilinio sedet qui infirmitatem suam sollicitus respicit, et sese de bonis quae per gratiam perceperit, non extollit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.152, ll.1-8). cf. Iob 2:8

17. Hii qui ad alta uirtutum surgere ueraciter appetunt. cum alienas culpas audiunt. mox cor ad proprias reducunt. et tanto rectius illas diiudicant quanto uerius istas deplorant.

    At contra hi qui ad alta uirtutum surgere ueraciter appetunt, cum alienas culpas audiunt, mox cor ad proprias reducunt; et tanto rectius illas diiudicant quanto uerius istas deplorant.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.31 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.153, ll.45-48).

18. Amici beati iob quasi pro consolatione conueniunt sed in contumelias erumpunt. quia insidiancia uicia uirtutum faciem sumunt sed hostili inuectione nos feriunt. nam sepe immoderata ira iusticia. et sepe dissoluta remissio misericordia uult uideri. Sepe incautus timor humilitas. sepe effrenata superbia appetit libertas apparere.

    Vnde et amici beati Iob quasi pro consolatione conueniunt, sed in contumelias erumpunt, quia insidiantia uitia uirtutum faciem sumunt sed hostili inuectione nos feriunt. Nam saepe immoderata ira, iustitia, et saepe dissoluta remissio, misericordia uult uideri. Saepe incautus timor humilitas, saepe effrenata superbia appetit libertas apparere.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.33 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.155, ll.21-27).

19. Cumque eleuasset procul oculos suos non cognouerunt eum. afflictos nos uicia minime cognoscunt quia triste cor mox ut pulsauerint reprobata resiliunt. et que nos letos quasi nouerant quia penetrabant merentes cognoscere nequeunt. quia ipso nostro rigore franguntur.

    Cumque eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum. Afflictos enim nos uitia minime cognoscunt quia triste cor mox ut pulsauerint, reprobata resiliunt; et quae nos laetos quasi nouerant quia penetrabant, maerentes cognoscere nequeunt, quia ipso nostro rigore franguntur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.35 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.156, ll.1-6). cf. Iob 2:12

20. Vicia que sub uirtutum specie antiquus hostis occultat ualde subtiliter manus compunctionis examinat. qui enim ueraciter intus dolet que agenda foris que ue non agenda sint fortiter preuidet. Si enim nos uis compunctionis in intimis afficit omnis strepitus praue suggestionis obmutescit. Vnde et sequitur. et nemo loquebatur ei uerbum. uidebant enim dolorem esse uehementem. si enim cor ueraciter dolet linguam contra nos uicia non habent.

    Sed haec uitia quae sub uirtutum specie antiquus hostis occultat, ualde subtiliter manus compunctionis examinat. Qui enim ueraciter intus dolet, quae agenda foras, quae non agenda sint, fortiter praeuidet. Si enim nos uis compunctionis in intimis afficit, omnis strepitus prauae suggestionis obmutescit. Vnde et sequitur: *Et nemo loquebatur ei uerbum: uidebant enim dolorem esse uehementem*. Si enim cor ueraciter dolet, linguam contra nos uitia non habent.

    Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 3.36-37 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.157, ll.21-26, 1-3). cf. Iob 2:13